

27. Si enim definitio illa, unde ordinem definitivum deducunt, pro quacunq; definitione sumitur, non erit ordo in disciplinis, nisi definitivus, quia in omnibus ab alicujus rei definitione incipitur. Si vero definitio est principij primi, erit ordo syntheticus: si subjecti scientifici, quia illa quoq; ex primis scientiae principijs conflata est, erit & sic syntheticus: si finis ultimi, erit analyticus: si medij alicujus inter principia prima & ultimum finem, procedetur sine justo ordine ad ignotum, nullaq; cognitio perfecta orietur: si deniq; ipsius scientiae & disciplinae, praepositur saltem proemium scientiae ab ipsa separabile, non ipsa ejus tractatio, vel aliqua ejus pars. Uno verbo: Definitio, omnes partes artis complectens, si proponitur, non mutat naturam methodi.

28. Caeterum non negamus, saepe, & imprimis ab oratoribus & poetis, proesum & ordinem talem institui, qui non tam est artis, quam prudentiae & arbitrarius: de quo hic sermo non est: certis enim legibus non continetur, sed ratione circumstantiarum sive dicentis, sive scribentis, sive auditoris adhibetur, & magis accommodatus est sensui & affectibus, quam exactae rerum & distinctae cognitioni & didascaliae.

29. Ille autem, qui artis est, aut est universalis & generalis, servandus in continuata serie omnium partium scientiae, totam disciplinam disponens, aut particularis, qui in certa aliqua disciplinae parte, quaestione & problemate servatur, deq; quo certa praepcepta tradi vix possunt, nisi quod illa sive quaesita, sive media sint anteponenda, quorum cognitio facit ad cognitionem reliquorum: & sic in parte scientiae, ordine synthetico dispositae, saepe ordo servatur analyticus: & in parte artis aut practicae disciplinae, ordine analytico dispositae, servatur syntheticus.

30. His ita positis, dicimus jam, in omni disciplina recte ordinata non inveniri, nisi unum ordinem generalem, eumq; aut syntheticum aut analyticum, prout illa est aut contemplativa, quae in sui subjecti, ejusq; principiorum & affectionum sola contemplatione consistit, aut operatrix, quae sui subjecti contemplationem refert sive ad praxin, sive ad *ministerium* & opus aliquod artificiale producendum, adeoque finem illum, quem intuetur, habet pro principio, ejusq; naturam sollicita cura indagat.